



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1546. usque ad annum 1549

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118529**

Caput XIX. De sacra Unctione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66608](#)

qui negat, idem Christi omnipotentiam  
in dubium vocat, & eundem ipsum va-  
nitatis insimulat, quo magis cavendum  
est, ne indigne hoc Sacramentum summa-  
tur. Scriptum est enim: Nam qui edit  
aut bibit indigne, judicium sibi edit, ac  
bibit, non dijudicans corpus Domini.  
Itaque probanda est consuetudo Ecclesiæ,  
quæ hominem non ante ad Sacramentum  
Euccharistiae dicit, quam pænitentiæ Sa-  
cramentum eum repurgavit. Habet Eu-  
charistia vim roborandi in bono spiritua-  
li, cui rei non sane ullus est locus, nisi  
repurgatio peccatorum antecesserit.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1548.

## CAPUT XIX.

### *De sacra Unctione.*

Ne homo, cum ægrotat, desideret sub-  
sidium peculiare, quod hoc ejus peri-  
culosissimo tempore, vel corpori ipsius  
subvenire, vel animam contra ignita sa-  
tanæ telamunire possit, instituta est Un-  
ctio sacra, ad quam Oratio Ecclesiæ ac-  
cedat, hujus mysticæ, & salutaris Un-  
ctionis a Domino fundatæ ritum, quo  
administrari eam conveniat, Aposto-  
lus Jacobus promulgavit: Infirmatur  
quis in vobis? inducat presbyteros Ec-  
clesiæ, ut orent super eum, ungentes  
eum oleo in nomine Domini: & oratio  
fidei salvabit infirmum, & alleviabit

N n 4

eum

**Sæcul. XVI.** eum Dominus, &c. qui igitur contemnit boc Sacramentum, Christum ipsum contemnere, & gratiam, quam hic per unctionem sacram nobis quodammodo porrigit, aspernari videtur. Unctionem quidem banc sacram, solis infirmis adbibendam Jacobus Apostolus insinuat, quod reliqui etiam Apostoli servaverunt, non tamen in omnibus, sed periculosis modo infirmitatibus, & ubi vita bujus interitus timetur, exercenda est mystica illa unctionis.

### CAPUT XX. De Ordinis Sacramento.

**Q**uamquam Christiani omnes sunt Sacerdotes, quatenus spirituales hostias Deo offerre, & nomen item ejus in omni loco utiliter invocare possunt: non omnes tamen sunt Ecclesiæ Ministri, sed jam inde ab ortu Ecclesiæ segregati sunt quidam in Ministerium Ecclesiæ, qui hujus muneribus fungerentur, & eosdem ita distinxit Deus, ne iidem omnia possent, neve ex promiscua illa ratione perturbatio nasceretur: neque enim Deus est confusio author: institutum est igitur Sacramentum Ordinis, cum signo impositionis manuum, & aliis buic Sacramento congruentibus ritibus, quo qui consecrarentur, ad munera Ecclesiæ acciperent.